DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

QUÆDAM DE

DYSENTERIA

COMPLECTENS.

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
DYSENTERIA;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET

NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JOANNES GRAY,

HIBERNUS,

CLASSIS BRITANNICÆ CHIRURGUS.

Ad Calendas Augustas, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT NEILL ET SOCII.

MDCCCXVI.

GEORGIO WOODS SARMON,

ARMIGERO,

IN CLASSE BRITANNICA DUCE,

VITÆ INTEGRITATE, MORIBUSQUE HONESTIS

INSIGNI;

HOC PEREXIGUUM TESTIMONIUM

AMICITIÆ AC OBSERVANTIÆ,

DICAT CONSECRATQUE

JOANNES GRAY.

FRATRI

CARISSIMO,

OPTIMOQUE AMICO,

ANDREÆ GRAY,

ARMIGERO;

HOCCE OPUSCULUM,

PIGNUS LEVISSIMUM

ANIMI GRATI,

SACRUM VULT

JOANNES GRAY.

3

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,

QUÆDAM

DE

DYSENTERIA

COMPLECTENS.

JOANNE GRAY Auctore.

Corpus humanum multis variisque morbis, vel generalibus vel localibus, proclive est. Ex his nulli, quod ad naturam pertinet, majoris sunt momenti, quàm illi qui canalem intestinorum afficiunt; et quod alimentum ad nutriendum corpus necessarium recipit, idque digerit et modificatur ad varia munera vitæ; et illas partes quæ haud sunt necessariæ et noxiæ separat et excernit.

A Quod

Quod Dysenteria est unus ex his morbis, qui totum canalem alimentarium afficit, de functionibus cujus bene perfectis, salus, vis et vita, tam multùm pendent ; sic in nulla re labores medicorum plus commodi publici, et prospectus jucundiores, quàm in præveniendo vel occurrendo impetui adeò gravis morbi, vel ejus tollendi, et curationem remediis celerrimis et efficacissimis perficiendi comitantur.

Quod hic morbus a Doctore CULLENO celeberrimo tam accuratè definitur, verba ejus hìc tradam :

" Pyrexia, contagiosa, dejectiones frequen-
" tes, mucosæ, sanguinolentæ, retentis plerum-
" que fæcibus alvinis ; tormina, tenesmus."

HISTORIA.

HISTORIA.

Hic morbus in æstate et autumno quàm in hyeme vel vere, magis sævit; in regionibus septentrionalibus non sæpe apparet, sed in calidis et tropicis frequenter occurrit, ubi et quando Febres Intermittentes et Remittentes multùm grassantur.

Convalescentes, vel illi qui morbo priore multùm debilitati sunt, ejus impetibus maximè obnoxii sunt; in castris, nosocomiis, et navibus hominibus impletis, sæpe occurrit. In calidis quàm in frigidis regionibus impetus sunt magis subiti, et indolem graviorem et formam typhoideam, induit.

Interdum morbus eodem modo ac diarrhœa incipit, et per dies duos vel tres sine ullo signo

signo regulariter notato characteristico sic manet, et hos duos morbos alium mutari quibusdam in alium visum est.

Ægros dolore vertebris lumborum simul cum lassitudine affectos, et hunc per duos vel quatuor dies continuatum vidi, priusquam symptomata magis diagnostica morbi se prodiderunt. Aliquandò signa affectionis localis, ut tormina, flatulentia, cum obstipatione, primò apparent.

Morbus in modo sequente plerumque aggreditur. Æger sensum frigoris, cum rigoribus, dolore capitis et dorsi, et lassitudinis sensit; hæc symptomata accessibus calidis, cute arida, aucta actione vasorum, site, cum ventriculo plus minusve affecto, brevi excipiuntur.

Haud paulò post hæc symptomata, æger doloribus vehementibus abdominis afficitur, quibus accidit desiderium solicitum desidendi, sed sine effectu optato; nihil præter mucum sanguine mistum,

mistum, vel aliquandò sanguis solus, dejicitur. Dum dejectiones sunt naturæ hujusmodi, vix ullæ fæces naturales apparent; et cùm dejiciuntur, quod raró sine auxilio medicinæ fit, in duris et concretis massis existunt, et cùm dejectæ sint, multum levaminis plerumque præbent: Plus minusve pyrexiæ hunc morbum comitatur, et febris in primis stadiis morbi plerumque est generis inflammatorii, anorexia, digestio imminuta, marcor, atque igitur generalis debilitas, quoque huic morbo accedunt.

Ex violentibus nixibus haud infrequenter accedit, ut portio recti deorsùm impellatur, quod multum doloris et molestiæ semper gignet. His symptomatis, cum anorexia, et pervigilio manentibus, vires paulatim deficiunt, et morbo progrediente, hæc nisi idonea medicamina adhibeantur, augescunt; pulsus fit debilior, ventriculus irritabilior. Tormina plerumque inferiorem partem abdominis vexant, et febris quæ primò fuit generis inflammatorii, typum

typum typhoideam nunc induit. In stadiis provectioribus, haud infrequenter accidit, ut substantiæ diversorum aspectuum, nunc membranaceæ, nunc caseo similes, et interdum materies pus vel saniem referens, dejiciantur. In hoc statu morbi dejectiones magis fœtidæ fiunt, et plus minusve ischuriæ, vel dysuriæ, haud rarò adest : Lingua quæ, ineunte morbo, albo muco obducta est, nunc nigro tegitur.

Duratio morbi est incerta, et de vehementia symptomatum, multùm pendere oportet. Ubi symptomata inflammatoria urgent, iisque signa naturæ putridæ accedunt, simul cum viribus multùm deficientibus, vel ubi indicia manifesta debilitatis ab initio morbi, simul cum febre typhoidea, ventriculo multùm affecto, anorexia cum dejectionibus fœtidis et invitis existunt, morbus plerumque in mortem intra paucos dies desinet. Sed ubi symptomata sunt mitiora, morbus diu per tres hebdomadas, mensem, vel multò diutiùs protrahi potest.

In

In ægris phthisicis sæpissimè fit lethalis; et in iis asthmate affectis eum difficiliorem sanàtu, plerumque inveni.

Cùm morbus lethalis evasurus est, symptomata vehementiora existunt, dolores abdominis sunt graviores, et non remittent; desiderium desidendi magis urget; et si aliquid dejicitur, fœtidissimum est; pulsus fit debilis et celer, sitis est magna; respiratio oppressa, et accelerata; ventriculus ejicit cibum et potum; æger fit debilis, vultus est pallidus; fæces et urina ægro invitò elabuntur; difficultas vorandi, frigida extrema adsunt, singultus, et sudor frigidus frontem et pectus irrorat, subita remissio doloris, quæ plerumque vitæ miserandi ægri finem imponit.

Sed contrà, si eventum faustum liceat expectare, tormina et tenesmus mitiora evadunt, dejectiones magis sunt caloris naturalis, febris levatur, sitis minuitur, pulsus magis fit regularis, appetitus sensim restituitur, et sudor lenis et dif-

fusa

fusa per totum corpus extendit; simul cum his, valetudo et vires paulatim redeunt.

DIAGNOSIS.

Hic morbus Diarrhœam, et magis præsertim ad ejus initium, nonnihil refert; sed in progressu suo ab torminibus, tenesmo et aspectu dejectionum quæ plùs minùsve eam comitantur, facilè dignosci potest. In diarrhœa dejectiones sunt liberæ, easque dolor non comitatur, sunt ex colore naturali, nullâ febre comitante.

Ex Cholera Morbo in hoc, quod vomitus continuus, et dejectiones aquosæ vel aliquando biliosæ semper adsunt, dignosci potest. Brevis continuatio, et defectus virium ingens, in hoc morbo est symptoma valdè diagnosticum.

Ex Enteritide, subito impetu, dolore abdominis ardente vehemente et haud remittente, alvo astricta,

astricta, et nullis dejectionibus factis, pulsu parvo et frequente, insigni irritabilitate ventriculi, ardore cutis, vultu pallido, brevi duratione hujus morbi, magna siti et his symptomatis, ineunte morbo, accidentibus, quæ in hoc morbo occurrunt, facilè distingui potest.

PROGNOSIS.

Prognosis hujus morbi de natura symptomatum multùm pendebit : si vehemens sit pyrexia, et actio vasorum valdè aucta, vel si febris typhoidea maturè cum signis putredinis, et ingentis debilitatis incipit ; et magis præsertim, si hic morbus, in regionibus tropicis aggreditur, multum periculi est metuendum ; sed contrà : si symptomata inflammatoria sunt mitia, nulla febris typhoidea adest, et morbus in regionibus septentrionalibus occurrerit, prognosin plerumque faustam nobis formare licet.

CAUSÆ PRÆDISPONENTES.

Illius generis omnes causæ quæ in corpus humanum, partim, vel universè, agunt, debilitatem inducentes, idque magis subjiciunt ad vim causarum excitantium, recenseri possunt. Inter has, tenuem victum, exercitationem corporis vehementem et diuturnam, profusas evacuationes, pathemata mentis, ut mœrorem, metum, et anxietatem, enumerare possumus. Hæ causæ organa digestionis sæpe afficiunt, eaque inhabilia ad fungenda munera sua solita, præparare cibum ad nutritionem corporis, quod in primo loco, inducit cardialgiam, vomitum, ructus, dyspepsiam, et alia symptomata nervosa, reddunt; in secundo loco, ex corpore subsidio necessario privato, debilitas aliaque mala oriuntur.

Ebrietas ferè eodem modo debilitando vires digestionis, agit, et eum agere majore vi ex stimulo

mulo valido proximè admoto ad tunicas ventriculi; pariter ac vi, quicum in nervoso genere pollet, mihi oportere videtur; prætereà ebrietas corpus aliis causis prædisponentibus validis obnoxium reddit, quarum omnes plus debilitatis ortui hujus morbi maximè faventis, inducere tendent.

Frigus est alia valida causa prædisponens; imo, multi id esse excitantem causam, putant, Quidem hunc morbum in navibus bellicis ex India Occidentali ad Angliam redeuntibus, in quibus nulla symptomata morbi donec usque hæ in latitudinem borealem pervenerant, erumpere cognovi; sed in his casibus causam excitantem latuisse, et quibusdam rebus tantum opus esse, hanc prodere, valeo credere.

Dixi frigus esse maximè causam prædisponentem hujus morbi, et magis præsertim si calor vehemens antecedit. Milites et nautas huic morbo in regionibus tropicis ex subitis vicissitudinibus quæ eveniunt, maximè obnoxias esse

bene

bene constat, ex corporibus suis laxis et debilitatis ingente calore, et postea ad frigidam humiditatem noctis objectis, quæ ut causa valdè debilitans agit ; quin et effectus perspirationis impeditæ, quæ impetum dat cavitatibus internis, simul cum causa excitante, primum stadium morbi inducit. Porrò magna proclivitas ad Dysenteriam ex relaxatione et debilitate in regionibus calidis, ratione vitæ ignavia in his adhibita, augeri potest. Hæc cum aliis supradictis actionem cordis et arteriarum debiliorem inducet, et corpus magis obnoxium morbo reddet.

Ignavia alium habet effectum, inducendo debilitatem, actionem torpidam et pravam in functionibus naturalibus gignendo, et desiderium cibi nihil imminuitur, inde, hæc alia causa indirecta in minuendo actionem generis arteriosi evadat.

Calore intenso, et perspiratione copiosa, sitis inducitur ; ad quam levandam, Natura potus largos suadet ; ventriculo igitur fluidis impleto, quæ plerumque sunt generis accidulati ; præterea

terea usu libero fructuum, qui plerumque regionibus calidis copiosè sumuntur, concoctio impeditur, et diarrhœa haud rarò sequitur. Hæc debilitando viscera intestinorum, alia causa haud indubitanda hujus morbi evadit.

Impetus vehemens ad superficiem corporis ex calore oriens, defectum in aliis partibus, præsertim in cavis intestinorum, et mutationes morbidas in vasis harum partium, efficet. Ex actione aucta et continuata in vasis cutis, illa augentur et distenduntur. Hæc distentione inductâ et servatâ, subsidio insolito, his vasis tonus perit, illaque irritabiliora fiunt. Hi effectus ex ulla exercitatione corporis insolita, sudores profusos per totum corpus inducente observantur, ut antea dixi, auctum subsidium fluidorum animalium ad ullam singulam partem, defectum in aliis partibus gignet, et igitur majore actione in vasis horum partium ad suppeditandum defectum, opus erit. Hæ mutationes continuatæ cum causis antea dictis, ad producendum magnam vel partialem debilitatem maximè valebunt;

bunt; et in nullis partibus, magis quàm cavis internis, quod tantus consensus inter hæc, et superficiem externam intercedit.

CAUSÆ EXCITANTES.

Morbum ab acri materia in corpore generata, atque in intestina evecta, oriri, plurimis est persuasum; sed quomodo hæc, si existat, propagari potest, et cujus naturæ sit, prorsùs ignoramus. Materiam perspirabilem in corpore retentam noxias vires sibi posse assumere, quæ stimulando intestina hunc morbum inducent, qui, materia perspirabili in externa superficie corporis subitò impedita, magis propagari et concentrari potest, putatum est. Argumenta esse valida cur hæc causa excitans haberetur, præsertim quod hic morbus inter milites in castris sæpe pervagatur, bene intelligo; sed hoc non rationem posse reddere frequentioris propagationis hujus morbi in regionibus calidis quàm frigidis, malo credere.

Bilis

Bilis acris pro alia causa morbum inducente habita est, sed morbus per longum tempus antequam ulla bilis dejecta fuerit, se exhibuit ; præterea in omnibus casibus quibus nimia bilis in intestinis adfuit, catharticas vires prodidisse videtur. Nihil quod me inducere potuit credere bilem in copia præter solitum, in hoc morbo adesse, reperi contrà eam in copia idonea non suppeditari, semper mihi persuasum est, (et hoc ex natura fæcum credidi,) et si retenta est, eam vitiatam vel secretam in nimia copia, non diffusam esse per corpus, ut in aliis morbis, ubi in quantitate nimia existit.

Morbus ex effluviis putridis mortuorum animalium, vel vegetabilium substantiarum ortum habere putatur : Hæc putrida effluvia ventriculum et intestina affectura esse, nauseam, vomitum, et diarrhœam, inducentia, constat ; et me judice, hæc est causa præcipua excitans, varium modum accipiens, sensim aucta et quam causæ concurrentes comitantur.

Cùm

Cùm in nave bellica ad Constantinopolim fui, morbum inter nautas se prodidisse memini, et ortum ejus nihil alii quam quod anchoram jecimus prope littus, et juxta locum in quo sordes oppidorum Topinarii et Peræ depositæ fuerunt, tribuere potui. In nave bellica ferè duos annos Gadibus fui, cujus anchora plerumque per id spatium jacta est, et navales comites, præsertim cum Eurus tenuit, dysenteriâ sæpe affecti sunt, ex lato tractu humilis et paludosæ terræ effluvia putrida semper exhalante, credere inductus sum. Septembre et Octobre anni millesimi octingentesimi decimi quarti, in Chesapeake in littore Americæ stipendia feci. Temperies maximè fuit fervida, per diem, et voluptatem aëris reficientis, nisi in vespere, quem graves rores comitati sunt, qui sensum frigoris algosum corporibus antea solis fervore exhaustis minimè salubrem induxerunt, vix unquam experti sumus. Ibi Dysenteria, Febres Remittentes, et Intermittentes, cum Cholera morbo, multùm grassabantur, et has ex una eademque causa originem suam traxisse apparuit.

Dysenteriam

Dysenteriam non esse contagiosam multis videtur; sed hæc opinio quotidie refutatur. In castris et locis malè ventilatis, quibus multi sunt conferti, strages ab ea inducta, nimis est manifesta; sed non secùs ac omnes alii morbi contagiosi, non agit nisi quædam res favent. In ultimis stadiis, cùm morbus plus indolis putridæ induit, maximè esse contagiosus mihi apparet. Pro argumento eum non esse contagiosum, nutrices quæ ægris adfuerunt, et illos qui eadem sede desederunt, hoc morbo non correptos fuisse, adlatum est. Hoc, cedo, sæpe accidit; sed exempla bene notata contrarium probantia scio; et siquando morbus, rebus sic se habentibus, non se prodidit, contagio in illo statu conflatus non existit, vel causæ prædisponentes non tam vehementes fuerunt, ut corpus ad ejus impetum proclive redderent.

In castris et navibus præfectos, ad hunc morbum non adeo obnoxios, ac gregarios, observatum est. Hoc esse verum persuadeor. Ratio vivendi illorom est lautior, vestis magis sunt accommodatæ ad resistendum varietatibus cœli, illi-

que aëre magis puro fruuntur; præter immunes sunt, multis depressionibus animi, quibus milites et nautæ sæpe afficiuntur, quæ corpus reddendi obnoxium contagioni semper vim habent. Quamvis eam in navibus existere constat, de modo quo inducitur multi sunt incerti. Spiritus tot confertorum, ex quibus multi scorbuto, ulceribus malignis, laborant, et alia noxia effluvia, aër humidus, et malus, cum aliis causis concurrentibus, illud genus effluviarum incitantium, dysenteriam inducere valent.

Doctor Blain, de hoc morbo disserens, haud rarum esse videre aliam partem navalium comitum dysenteriâ, et aliam febre, affectam, dicit. Has ut vicarias, et ex diversitate constitutionis, causæ occasionales cœlo tempestate, anni, diversis rationibus vitæ, et morbis inter comites navis anteâ valentibus, multum pendentes, habet.

Causa quâ hic morbus magis in æstate, et autumno, quàm hyeme, vel vere, et in calidis quàm frigidis regionibus, grassatur, viscissitudinibus minùs subitis, corporibus validioribus et non

adeò

adeò relaxatis, igitur ad mutationes morbidas in solidis et fluidis non tam proclivibus, et illi conditioni caloris aëris necessariæ ad generandum causam excitantem, est tribuenda.

CAUSA PROXIMA

HUJUS morbi, a celeberrimo Doctore CULLENO, ex inflammatione tunicarum internarum intestinorum, et magis præsertim coli et recti, cum strictura spasmodica eorundem, constare dicitur. Sectiones cadaverum, colon et rectum, aliquando minora intestina, inflammatione correpta, ulcerata et gangrænosa ostenderunt, morbum his partibus præcipuè contentum exhibentes. Aliæ causæ, ut torpor arteriarum exhalantium in superficiem corporis, et vasorum secernentium hepatis, adlatæ sunt. Excretionem minutam in superficie corporis occurrere, et morbum tendere, augere non negabo; sed eam esse effectum morbo inductum, et non causam, malo credere.

EXPLICATIO

EXPLICATIO QUORUNDUM SYMPTOMATUM, QUÆ PRODUCUNTUR PER DECURSUM HUJUS MORBI.

Tormina, materiæ acri in intestinis generatæ, quæ ea jam valdè irritabilia, ob conditionem maximè inflammatam, et vehementem actionem excitat, verisimilè sunt tribuenda.

Sanguis emissus, ineunte morbo, ex ruptura quarundam ex parvis arteriis intestinorum, actione violente et continuata intestinorum in eas distensas; vel fortassè ex arteriis exhalantibus in superficiem intestinorum ejectis, auctâ actione spasmodicâ intestinorum, oriri potest.

Fæces induratæ in colo, earumque retentio, actioni peristalticæ imminutæ, capacitate intestinorum ob inflammationem imminuta, actioni morbidæ intestinorum, ejusque stricturæ peculiari atque forsitan debito subsidio muci intestinorum deficienti, referri possunt.

Tenesmus,

Tenesmus, ex materia acrida inducta, morbo stimulante, rectum et anum maximè inflammatis et irritabilibus, ortum ducit.

Stranguria, pro causa sua, consensum inter vesicam et rectum, vel fortassè morbum huic visceri communicatum, agnoscit.

Species membranosa dejectionum in ultimis stadiis morbi, fortassè est tunica villosa intestinorum ulceratione gangrænâ separata; pus et sanies ex alvo dejecta, ab iisdem causis oriuntur.

RATIO MEDENDI.

Hanc in quatuor capita dividam. Primum, Minuendo actionem vasculosam auctam systematis, et tollendo inflammationem topicam intestinorum, constat.

Secundum, Evacuationem intestinorum, eorumque sanam purgationem promotans, complectitur.

Tertium,

Tertium, Structuræ spasmodicæ intestinorum, solutionem et corporis superficiei relaxationem promovendo, actionem arteriarum exhalantium, includit.

Quartum, Renovando tonum, intestinorum vires et robur corporis restituendo, et prohibendo reditum morbi, consistit.

Ad implendum primum caput, veneæsectio est remedium efficacissimum; sed quòd febris hunc morbum comitans, indolem suam et aliquando citissimè, mutat, hæc maxima cum cautela est adhibenda; tamen si febris inflammatoria, in initio morbi urget, si pulsus sit plenus et durus, et æger pleno habitu corporis, sanguinem ex brachio libere detraherem; sed in plurimis ægris quos curavi, ad hoc remedium me unquam confugisse, non recordor.

Epispastica, aliam methodum præbent, inflammationem topicam tollendi: iis nunquam usus sum, et quibusdam meis amicis testantibus parùm profuisse videntur.

Ad

Ad secundam indicationem nunc perveni, quæ fuit evacuare intestina, et promovere eorum sanam purgationem. Ad hoc implendum varia remedia præscripta sunt. Calomelas nunc maximè laudatum est; simul cum aliis auxiliis, et non solùm adhibetur, consilio promovendi dejectionem alvi, sed etiam systema afficiendi. Nonnulli id usque ad dimidiam drachmæ bis in diem exhibuerunt. Hoc medicamentum in tantis dosibus exhibitum, constitutioni nocuisse, et sanationem moratum esse, puto. Bonos effectus medicaminum purgantium, vel etiam ut systema afficierunt, parvis dosibus sumptis et sæpe repetitis, meliùs inductos esse credo. Sex grana hujus medicamenti plerumque præscribo, et, post paucas horas, unciam olei ricini, quæ plerumque evacuationem plenam intestinorum inducit. Ut sex vel septem grana calomelanos, ter in diem sumantur, et quoque tertio die unciam olei ricini jubeo, quo alvus laxa servatur, et symptomata morbi vehementia multùm levantur.

Proxima

Proxima indicatio curæ, levando stricturam spasmodicam intestinorum, et laxando externam superficiem corporis, promovendo actionem arteriarum exhalantium, constat.

In hoc consilium, injectiones emollientes, bis terve in diem, ut infusum seminis lini in forma tepida, vel quoddam ex oleis blandis vegetabilibus, cum proportione aquæ tepidæ, administro. Proxima remedia in hoc consilium sunt, semicupium, formenta ad abdomen, et pedes vapores aquæ calidæ, opiatum sub nocte, et potus largus demulcens. Ex his remediis optimos effectus inductos, et levando tormina et tenesmum, non secus ac promovendo halitum cutis, et restituendo vires corporis, ex effectibus ab opiato inductis, vidi.

Hac methodo medendi, duos tresve dies ab initio morbi, æger mirum levamen symptomatum, experitur: ardor cutis, frequentia pulsûs minuuntur, febris remittet, et octo vel novem diebus vel citiùs, systema usu hydrargyri afficitur, et symptomata

symptomata morbi statim evanescunt. Curationem nunc perfectam existimo, et usum hydrargyri omitto.

Quarta indicatio curæ, restituendo tonum intestinorum, renovando vires et robur corporis, et prohibendo reditum morbi, consistit.

Ad restituendum tonum intestinorum, nihil quàm vegetabilia et amara magis pollet; et quòd flatulentia semper comitatur, aromatica præcipuè indicantur. Hæc conjuncta maximè prosunt, ut infusi gentianæ una uncia, et quindecim vel viginti guttæ spiritûs lavandulæ compositi, bis terve in diem sumptæ; vel infusi quassiæ una uncia, tincturæ aromaticæ compositæ decem vel quindecem guttæ, exhibitæ ut supra. Si per statum convalescentiæ, alvus fieret adstricta, dosis modica rhei palmati et magnesiæ commodò sumatur. Regimen strictè adhibitum, nunc sola est res necessaria per convalescentiam: victus oportet esse nutriens et facilis concoctu, ut juscula, pisces, aves, et panis fermentatus, liquoribus fortibûs evitatis; et ve-

getabilibus. Pauci cyathi vini generosi quotidiè sumantur, calidus vestitus sedulò est servandus, aëre nocturno, frigore, humiditate, et omnibus vicissitudinibus subitis, evitatis. Hæc sunt servanda per longum tempus, etiam post sanationem.

FINIS.